SEMINARII FLORENTINI
ACADEMICA EXERCITATIO
IN FUNERE
THOMÆ BONAVENTURÆ
E COMITIBUS GHERARDESCHÆ
ARCHIEPISCOPI FLORENTINI
EJUSDEM SEMINARII CONDITORIS.

FLORENTIÆ, MDCCXXI.

Ex Typographia Michaelis Neſtenus.
SUPERIORIBUS PERMITTENTIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Laudemus Viros glorioſos, & Parentes noſtros.
Multa dicemus, & deficiemus in verbis.

ECCLI. C. 43. & 44.

.... Clarum, & venerabile Nomen
Gentibus, & multum noſtræ quod proderat Urbi.

LUCAN. DE BELLO CIVIL. LIB. 9.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE LAUDIBUS
THOMÆ BONAVENTURÆ
Beatorum Præſulum Florentinorum Imitatoris ſolertiſſimi
ORATIO.

Quamquam omnes, Patres ampliſsimi, Auditores præſtantiſsimi, non ii modo, quibus extitit mater, atque altrix hæc Urbs florentiſsima, ſed alii etiam, tum finitimi populi, tum longo locorum intervallo diſjuncti, quibus publica Eccleſiæ Florentinæ tranquillitas, ac Dioeceſeos univerſæ proſperitas, gloria, incolumitas curæ erat, accepto Patris optimi, Præſuliſque amantiſsimi, Thomæ Bonaventuræ è Comitibus Gherardeſchæ, mortis acerbiſsimo nuncio, non mediocriter doluerunt, & manifeſta certatim inuſitati luctus indicia prætulerunt: Nos tamen Collegii hujus ab eo recèns conditi alumni, qui tot, tantiſque muneribus cumulati, tam eximiis, planeque immortalibus beneficiis ad hanc uſq; diem ornati ſumus, quàm immanem animo, quàm incredibilem dolorem percepimus, quum adversâ valetudine primùm conflictaretur, mox etiam vi morbi graviſsimâ è medio tolleretur, dici vix poteſt. Quid enim funeſtius, quid luctuoſius cuiquam potuiſſet umquam accidere, quàm eum, cui propter præclara merita, propter excellentem munificentiam, pietatemque ſingularem, ac pœnè divinam, longiſsimum vitæ curſum, & procul omni moleſtiâ maximè proſperum, & tranquillum optaret, deficientibus paulatim viribus (heu ſpectaculum acerbiſsimum! conſumptis enim lacrymis infixus tamen adhuc pectori hæret dolor) morientem intueri? Sed quoniam Deo Optimo Maximo viſum eſt Eccleſiæ Florentinæ Antiſtitem immortalitate digniſsimum, atque in Eccleſiaſticam hanc Familiam longè beneficentiſsimum Patrem eripere: quemadmodum eâ, quâ par erat, funebri pompâ, ſolemniſque apparatus magnificentiâ, paucis ab hinc diebus, ab omnibus omnis ordinis,

omnis gradus, omnis ætatis in maximo Urbis noſtræ Templo juſta ſunt perſoluta; ita conſtituerunt Seminarii noſtri Moderatores, ſummi, & prudentiſsimi viri, a nobis etiam, quos mirâ liberalitate aluerat, foverat, atque in ampliſſimi honoris gradu collocaverat, inferias præcipuo jure faciendas eſſe. Poſtquam verò, Auditores, ſuprema pietatis officia hodierno mane mœrentes perſolvimus, atque optimi Præſulis manes, ſi quid contraxiſſet pro humana imbecillitate piaculi, Chriſtianis ritè cæremoniis expiavimus, æquum erat profectò maximarum rerum benè, ac præclarè geſtarum recordationi, quæ ſupereſt, diei partem tribuere, virtuteſque, quibus ſolertiſſimus fuit imitator Beatorum Patrum, qui ſuperioribus annis Florentinam Eccleſiam adminiſtrarunt, quantùm tenuitas pateretur noſtrarum virium, in medium afferre. Cui enim veterum Præſulum, qui ab hac Urbe condita Cœlitum ſedes virtute, ac laboribus meruerunt, aut nobilitate, aut doctrinâ, aut gravitate, aut innocentiâ, aut ullo genere laudis fuit ſecundus? Ob eamque cauſam nullum excelſius, nullum luculentius, nullumque hodiernæ celebritati accomodatius inveniri, aut excogitari umquam poſſe argumentum cenſuimus, quàm ſi vitæ ab Antiſtite noſtro vigilantiſſimo, Thoma Bonaventura, laudabiliter actæ ſeriem explicaremus, virtuteſque Florentinorum Præſulum inter Cœlites relatorum in eo præcipuas effulſiſſe mirum in modum, oſtenderemus.

Atqui meæ ſtatim Orationis initio commoveor vehementer, atque perturbor, Auditores, dum animadverto propitium, ac ſalutare ſydus, quod litterariis noſtris exercitationibus affulgebat, dicentemque alumnam Seminarii Juventutem, præſentiâ illuſtrabat, recreabatque clementiâ, ereptum eſſe. Oh me perditum, atque afflictum! quò ſanè me vertam, quam potiſſimùm viam inſiſtam, propter inſolentiam dicendi meam, tam certo duce, auſpiceque ſublato ignorem, neceſse eſt. Nihilominus me confirmat non mediocriter, reficitque conſpectus veſter multò jucundiſſimus, Eccleſiæ Florentinæ Proceres præclariſ-

ſimi,

ſimi, ac frequentiſſimus veſter conſeſſus, ornatiſſimi Auditores: quorum tantam eſſe auctoritatem, ut magno poſſitis adjumento, ac præſidio eſſe, modò velitis, tantam, ac tàm eximiam humanitatem, ut nolle haudquaquam poſſitis, certò ſcio. Et profectò, Auditores, ut inde proficiſcatur Oratio, unde, veluti a puriſſimo quodam, atque uberrimo fonte, laudes ampliſſimi Præſulis omnes promanant, nemini dubium eſſe umquam poteſt, eum a teneris, ut ajunt, unguiculis ingentem vim librorum, quibus res geſtæ reperiuntur deſcriptæ Præſulum omnium, præſertim verò Florentinorum, vitæ innocentiâ, ac doctrinæ gloriâ præſtantium, aſſiduè congeſſiſſe, eorumque lectioni, ac meditationi tantum temporis, quantum plerique omnes, ſi qui ſunt, tot, tantiſque curis diſtenti concedunt honeſtæ recreationi, animique remiſſioni, tribuere quotidie conſueviſſe. Quemadmodum enim Archelaum memoriæ prodiderunt numquam è lectulo ſurrexiſſe, ad lectulum numquam ſeſe contuliſſe, niſi nonnihil è rebus præclarè geſtis Græcorum ducum apud Homerum lectitaſſet; ſic Thomas diurnâ, nocturnâque manu volvebat eorum acta, qui evolutis retro ſæculis Eccleſiaſticâ dignitate præfulſerant, nullumque diem, noctem nullam abire omnino patiebatur, quin eorum virtutes, quarum dum recordaretur, mirificâ voluptate perfundebatur, ſibi proponeret imitandas. Cujus equidem veritatis luculentiſsimæ, eorumque præſertim, qui ejus familiari conſuetudine fruebantur, experimento certiſsimæ teſtem appello Florentinorum Antiſtitum Hiſtoriam omnigenâ eruditione refertam, quæ eo impellente quinto ab hinc anno fuit condita, eo jubente, non mediocri eruditorum hominum beneficio, publicâ luce donata, & ſub ejus nominis feliciſsimis auſpiciis circumfertur. Atq; ita exiguo temporis intervallo, tam laudabili ſtudio, tam aſsiduâ exercitatione virtutes omnes eſſe aſſequutum Summo Sacerdote dignas quid attinet dicere? Julium Cæſarem ferunt, quum in Hiſpaniam veniſſet Romanæ Reipublicæ Quæſtor, ſtatuam Alexandri Macedonis aſpicientem, ingentemque gloriam, qua

Digitized by Google

Univerſum terrarum Orbem impleverat, ſecum animo volutantem, incredibili planèque inuſitatâ cupiditate exarſiſſe, ut parem compararet nominis claritatem: & profectò, niſi mea me fallit opinio, effecit quamprimum, ut ſuum etiam Alexandrum Romana oſtentaret Reſpublica. Non aliter ego Thomæ noſtro accidiſſe Majorum rebus geſtis ſedulam operam navanti contenderim. Quibus enim aliis è fontibus haurire umquam potuiſſet tantam vitæ integritatem, tantam manſuetudinem, tam inauditam clementiam, tantum in maxima generis claritate, ac poteſtate rerum omnium modum, tam admirabiles denique, planèque divinos mores? Nimirum, quum adhuc judiciis præeſſet, quæ ad Apoſtolicum Nuncium pertinebant; quum Antiſtitis Florentini, cui charus erat in primis, ſumma cum poteſtate gereret vices, quum Feſulanam Eccleſiã adminiſtraret quis eo continentior? quis in adverſis rebus conſtantior? quis moderatior in proſperis? quis liberalium diſciplinarum amantior? quis laboris patientior? quis propter virtutum omnium pulcherrimam conſenſionem, atq; concentum ſupremi regiminis dignior honore, antequam Metropolitanæ huic Eccleſiæ regendæ admoveretur? Poſtquam autem per omnium munerum gradus altiſsimum conſcendit apicem dignitatis, & acclamantibus popularibus, civibus plaudentibus, atque univerſis Ordinibus incredibili prægeſtientibus gaudio, ſuiſq; è ſedibus Florentiâ mirabiliter exiliente Eccleſiaſticum Principatum obtinuit, tum verò lucidiſsimum extitit ſpeculum, in quo Præſulum omnium de Florentina Republica optimè meritorum, Cœloq; deinceps additorum eximiæ virtutes mirum in modum enituerunt. Sed quum undique mihi occurrat, ac ſeſe offerat auguſtus Sanctiſſimorum Patrum Senatus, quorum ſinguli innocentiâ, doctrinâ, virtutumque omnium clariſſimo exemplo duces ſe Præſuli noſtro rerum optimè gerendarum præbuerunt: animum ad ſeſe meum præcipuè rapit Zenobius, qui longè latèque ſuorum radios meritorum diffudit, facemque prætulit lucidiſſimam, & aliis omnibus, qui ad Eccleſiaſticum gubernaculum ſubinde ſederunt, & Tho-

mæ

Digitized by Google

mæ Bonaventuræ præſertim. Procul dubio, Auditores, inter alias omnes animi dotes, quibus præditus erat Zenobius, Catholicæ Religionis reſtituendæ, propagandæque præcipuus ardor effulſit, quemadmodum ait Poeta:

.... velut inter ignes
Luna minores.

Quàm enim impensè, Deus bone! quàm enixè in eam incubuit curam, ut illatas ab Hæreſi Arriana fulciret rùinas, Fidemque Orthodoxam labantem, ac pœnè ruentem humeris ſuſtentaret? Thomas verò, quum primum in Eccleſiaſticæ dignitatis faſtigio divinitus eſt conſtitutus, non modò ſalutaribus exemplis, ac publicis monitis numquam deſtitit commiſſos ſibi populos ad conſervandam, augendamque Orthodoxæ Religionis puritatem, erroreſque diſcutiendos vehementiſſimè cohortari; verùm etiam Aſtrorum Principi conſimillimus, qui univerſum terrarum Orbem colluſtrat, nihilque patitur, aut frigoribus torpeſcere, aut tenebris exitialibus obrui, latè patentem luſtrare Diœceſin ſuſcepit, celerrimèque opus confecit, difficillimis etiam temporibus, lucem omnibus auxilii, lucem ſapientiæ, lucem afferens ſanctitatis. Quo quidem in loco temperare mihi non poſſum, quominus in medium afferam leges ab eo mirâ ſuavitate, ac ſolertiâ conditas, & frequentioris Synodi reverentiâ conſecratas, quibus nihil utilius, nihil ſalubrius, nihil aptius ad continendos in officio homines univerſos inveniri, aut animo fingi poteſt. Apex ille humanæ ſapientiæ, Plato, legem eſſe auream in Civitate çatenam veriſſimè aſſeruit. An verò quædam aurea vincula leges illæ non extiterunt, quibus omnes, aut excelſo, aut humili loco nati devinciuntur, & res omnes ad benè beatèque vivendum jam inde ab Urbe condita conſtitutæ alligantur, & additamenta non pauca facilem ad obſervantiam aditum recludentia continentur? Atque utinam mihi tantum eloquii flumen, ingenii tanta vis, ac facultas obtigiſſet, quantâ opus eſſe planè cognoſco ad reliqua in Florentinam Eccleſiam merita ſingularia pro dignitate exornanda, ſtu-

by Google

diumque perpetuum explicandum in promovendo Divinorum cultu Officiorum, expoliendâque bonis artibus juventute ſupremi Numinis obſequio mancipatâ, ut, & Præſulum cæterorum, & Andreæ potiſſimùm luculentiſſimis veſtigiis inſiſteret. Enimverò, Auditores, quemadmodum exploratum eſt, ſatiſque compertum de Andrea, eum olim, quum Beati Zenobii cineres honorificentiùs aſſervari, ac magnificentiùs cuperet, Eccleſiaſticos duodecim Adoleſcentes delegiſſe, qui domeſticis curis ſoluti, & a fluxis, caducifque hujus vitæ bonis abhorrentes Dei Optimi Maximi cultui vacarent; ſic porrò Thomas Bonaventura, ſimulatque Eccleſiæ clavo ſuæ fidei, tutelæque commiſſo manum admovit, non auxit modò eorum numerum adoleſcentium, qui quotidianam exhibent ſervitutem in nobiliſſimo, atque excultiſſimo templo Majoris Eccleſiæ; verùm etiam nihil intentatum reliquit, nihil inauſum, ut ad perfectiorem in dies honeſtatem, ſanctioriſque diſciplinæ ſtudium propoſitis præmiis, certiſque legibus conſtitutis inflammarentur. Sed quid ego commemoro Cathedralis Eccleſiæ dumtaxat obſequio mancipatos? Eccleſiaſticorum omnium, quos mirificè diligebat, planèque in deliciis habebat ſuis numquam animo deſtitiſſe progreſſibus excubare, meo quidem judicio, ſatis confirmant ſanctiones de vita bene, laudabiliterque inſtituenda, atq; ad honeſtatis regulas conformanda, quæ toties prodierunt: confirmant edita documenta de probanda, aptèque dirigenda Eccleſiaſtica vocatione, quæ Thomæ auſpicatiſſimum nomen præſeferunt: confirmant Theologicæ collationes, quas ſtatutis diebus ad excitandam, promovendamque ruralium Clericorum induſtriam habendas eſſe decrevit: confirmant litteræ, quæ palam circumferuntur ad eos miſſæ, qui Eccleſiaſticæ juventuti liberalium artium publicis in Gymnaſiis præcepta tradunt: confirmat denique cœtus, quem ritè diſpoſuit, ſapientiſſimorum, graviſſimorumque hominum, eorum mores diſquirentium, probèque cognoſcentium, qui per ordinum gradus contendunt ad ſupremam Sacerdotii dignitatem aſcendere. Do-

leo,

Digitized by Google

leo, ac vehementer doleo, Auditores, anguſtiis temporis impediri, quominus per tam lætum, beatumque campum excurram, laudeſque colligam immortales, quas Thomas eſt aſſequutus egregia in primis exempla Beatorum Patrum Theodori, atque Podii conſectando, quorum clariſſima, ac celeberrima nomina nulla umquam delebit oblivio. Nimirum cui dubium eſſe poteſt, alterum ſacras ædes quàm plurimas funditus extruxiſſe, ac ſingulari munificentiâ ditaſſe; alterum verò conſuevisse numeroſam domi familiam alere, præceptiſque luculentiſsimis tum rerum ſcientia, tum morum gravitate informare, ac mirabiliter erudire? Ariſtoteles perhibetur, acerrimo vir ingenio, novum veluti honoris, ac gloriæ certamen cum Iſocrate, atque Xenocrate, qui doctrinæ famâ, ac ſolertiæ laude florebant, inſtituiſse, nulliſque laboribus, vigiliis nullis, quibus præverteret æmulos, pepercisse; atque ita locum in litteraria Republica facilè principem esse aſsequutus. An verò certamen hujuſmodi non viſus eſt Thomas noſter inire, cum Theodoro quidem, quum poſt tot ædes temporis injuriâ labantes magnificentiſsimè inſtauratas, pulcherrimèque exornatas, ac Tabularium, ne Eccleſiaſtica jura interirent, maximis ſumptibus ordinatum, in Alpibus ad Appenninum Templum ex integro condidit, Sacerdotemque, qui animarum gereret curam accerſivit, ac ſatis amplis proventibus cumulavit; cum Podio autem, tunc præcipuè, quum ingentibus hanc domum aperuit impenſis, quam ſibi voluit eſse communem, & Eccleſiaſticæ Juventuti, ut ad omnem humanitatem informaretur? ob eamq; cauſam inſignes viros conduxit, qui morum nitorem, ac diſciplinarum elegantiam profiterentur, quotidianis litterariis exercitationibus quàm ſæpiſsime interfuit, ut ſuo alii omnes exemplo, ac paternis monitis commoverentur, ſummum denique Sacerdotem adivit Romam maturâ jam ætate, precibuſque apud eum effecit, ne ullis umquam machinis malevolorum hominum, ſi qui ſunt, tam proficuum, ac ſalubre inſtitutum labefactaretur. Quibus ego artibus non dicam ſanè priſtinos il-

los Eccleſiæ Principes eum eſse prætergreſsum, at exæquaſse propemodum contenderim. Dies me deficiet, Auditores, ſi velim ſingulos perſequi. Nihilominus te ſine piaculo præterire non poſsum, Antonine, cui numquam defuit, nec in conſiliis capiendis diligentia, nec in populis erudiendis ſedulitas, nec in periculis propulſandis conſtantia, nec in Eccleſiaſtico jure tuendo libertas, nec in referenda gratia munificentia. Sed profectò, ſi dicere inſtituam quàm tui ſimilis extiterit Thomas, quem Antoninum noſtrorum temporum publicè prædicabant, ſi monumenta vetuſtatis excutiam, ſi res utriuſque præclarè geſtas commemorem, abutar procul dubio patientiâ, ac ſingulari Auditorum humanitate, neceſse eſt. O eximium igitur virum, atque omnium ſæculorum memoriâ digniſsimum! qui, ut verbis utar Poëtæ:

.... quæ diviſa beatos
Efficiunt, collecta tenet.

O Præſulem præclariſsimum, planèque Præſulum omnium Florentinorum virtutibus exculiſsimum! quem propter candidos mores, & mite quoddam, ac tractabile ingenium ætatis aureæ reliquias, &, ſicut de Tito Cæſare magnificentiùs, quàm veriùs fuit uſurpatum, delicias humani generis meo quodam jure appellarem. Quibus probè conſtitutis ad te potiſsimum extrema ſpectat Oratio, vigilantiſsime Paſtor, Paterque amantiſsime. Tu quidem in puriſsima Cœli parte verſaris, ut par eſt credere, additusque Beatiſsimis Choris Præſulum Etruſcorum, tot, tantarumque rerum magna cum laude geſtarum fructu cumulatiſsimè frueris. Nihilominus altiſsima è ſpecula ad florentiſsimos Cives, tibique jucundiſsimos perpetuò reſpicias; reſpicias ad Filios chariſsimos, tuique amantiſsimos, quos incredibili proſequutus es ſtudio, planèque paternâ charitate complexus. Tu tui ſecurus conſule noſtris rebus, eâ, qua ſolebas clementiâ, ac benignitate. Tu pulcherrimam Urbem, tu latiſsimè patentem Diœceſin ſalutari luce colluſtra, tuumque præcipuè Seminarium. Hoc Proceres nobiliſsimi, quos Orationi

de

Digitized by Google

de tuis laudibus adeſse frequentes video: hoc Eccleſiaſtici Ordines, quibus tuum nomen gratiſsimum fuit, atque ſanctiſsimum: hoc Seminarij a te conditi alumni, etiam atque etiam orant, atque obſecrant. 7

Dixit Hyacinthus Toſius.

Occurſus feſtivus Beatorum Præſulum Florentinorum Thomæ noſtro Cœlum ineunti.

PHALEUCIUM.

Salve perpetuo beande riſu,
Salve perpetuo beande plauſu,
Expectate diù, diùq; votis,
Præſul optime, concupite noſtris:
Adſis, optime Præſul, Ordiniſque
Noſtri ſplendor, honorque, Magne Præſul;
Adſis, o Patriæ ſalus, decuſque
Immortale tuæ, decuſque noſtræ,
Quâ non extitit ulla te Magiſtro,
Te Cuſtode beatior per oras,
Quas Sol aſpicit, aut diem reducens,
Aut noctem Scythicis vocans ab antris.
Adſis, optime Præſul; Hìc perennes
Inter delicias beatitate
Poſt tot difficiles graveſque curas,
Poſt tot difficiles graveſque caſus,
Hìc plenâ potiere fauſtitate.
Salve perpetuo beande riſu,
Salve perpetuo beande plauſu,
Præſul optime, Præſulumque norma,
" *Quot ſunt, aut aliis erunt in annis.*
Tundit Flora ſinum, comaſque vellit,

Amiſ-

Digitized by Google

Amiſſoque dolet miſella Patre ,
Et tanto lacrymas amariores
Fundit nobilis Arnus , hinc , & inde ,
Quanto Simplicitas , Suavitaſque
Et quanto Integritas , Amorque Juris ,
Virtuteſque fuere dulciores .
At fruſtra lacrymas profundit Arnus ;
Fruſtra queſtibus excitare Manes
Tentat Flora tuos ſatis beatos
Inter ſiderea domus Alumnos ,
Cives Ordinis inter Infulati .
Huc ergo , huc ades , o diù cupite ,
Expectate diù , Chorique noſtri
Splendor maxime , lucidumque ſidus .
Huc ergo , huc ades , o beate Præſul ,
Præſul optime , Præſulumque norma
" *Quot ſunt , aut aliis erant in annis .*
Canis ceſſit Hyems rigens capillis ,
Hinc , atque hinc nivibus , geluque ſepta :
Jam ver multiplici nitens honore
Jam ver multiplici fragrans odore
Formoſum caput extulit , roſiſque
Innectit , violiſque pulcra ſerta .
Huc , huc perpetuo beande riſu ,
Huc , huc perpetuo beande plauſu
Poſt tot difficiles graveſque curas ,
Poſt tot difficiles graveſque caſus .
Hic magni gremio Patris receptus
Unà dulcibus oſculis frueris :
Feſtiviſque jocis frueris unà .
Hic claro in ſpeculo ſereniore
Aſtrorum nitidâ ſerenitate
Cives inſpicies amantis Urbis .

Hinc

Hinc alta e ſpecula ſatis, ſuperque
Urbi ſubveniens periclitanti.

Dixit Thomas Fratius.

Synodo celebrata corruptos hominum mores corrigit zelo ſimilis Sancto Zenobio.

O D E.

THomas gemmiferis ut gravis inſulis
Latè conſpicuum tollere verticem
Eſt viſus trabeâ inſignis, & emicans
Tuſcorum Solio Patrum:
Latis quum ſtudiis conſona Civium
Urbs longè fremeret; protinus extulit
Auguſtum nitidis Arnus aquis Caput,
Ut ſortes caneret novas.
Tandem magnus (ait) Paſtor, & Arbiter,
Thomas, quem Populus, quem precibus diù,
Quem votis Proceres rite vocaverant,
Heroum ſoboles adeſt.
Hic, hic Carpathii trans Maris æquora
Horrentem colubris luctificas comas
Bellonam rediget, quam fragor Urbium,
Quam clades hominum juvant;
Hic, hic æthereis ſedibus advehet
Victam ſupplicibus thuris honoribus
Aſtræa ſobolem, quam furor, & ſitis
Turpis cædis abegerat.
Flectet Threicio blandiùs Orpheo
Thomas eloquii pondere fluctibus
Jactata horriſonis pectora, & inferet
Unus frena licentiæ.

Pa-

Digitized by Google

Patrum lux veterum, ac gloria, Zenobi,
Quo rerum domino ſoſpite Veritas,
Et quo pura Fides, quo duce Fauſtitas
Tuſcis collibus adſtitit:
Ingens fama tuis, & decor artibus,
Vis, ac vita redit legibus; auguror.
Virtutum facilis jam Chorus omnium
Feſtivo remeat pede.

Dixit Antonius Maria Cajetanus Pulidorus.

S. Andream imitatus Clericorum numerum auget, ac promovet diſciplinam.

ELEGIA.

Occidit (heu!) Thomas, noſtra Pater occidit Urbis,
Dulce decus Cleri, ſplendor, amorque Gregis.
Occidit (heu!) Thomas; Gemere agra dolore videtur
Flora, incompoſitis & furere Arnus aquis!
Nos jam thura damus, jam proni advolvimur aris,
Fundimus & memori vota, preceſque ſinu.
Terrenâque Patris Manes dum labe piamus,
Si qua poteſt labes Manibus eſſe piis;
Huc ades, aut crines ferali cincta cupreſſu,
Huc ades incomptis aut, Elegia, comis;
Exue, ſi qua tibi ſunt, ornamenta nitoris;
Non eſt conveniens luctibus ille nitor:
Plectra ſonent, at mæſta ſonent; longique doloris
Ingeminent teſtem diſſona ſæpe ſonum.
Occidit heu! [dicant] Tuſca Pater occidit Urbis;
Urbis prima ſalus occidit, Urbis honor.
Atra dies Cleri Patrem, morumque Magiſtrum,
Cleri delicias abſtulit atra dies.

Sci-

Digitized by Google

Scilicet Andreæ veſtigia preſſit, & aris
    Sacrificos mirâ reddidit arte Choros.
Qui pulchras opibus fovit regalibus artes,
    Qui retulit patriis aurea ſecla plagis;
Qui decus antiquum Templis revocavit, & auxit
    Cælitibus cultum (proh dolor!) occubuit.
Interea dum plectra gemunt Heroa, paramus
    Grande miniſterium Turba dicata Deo.
Quiſquis adeſt, quem tangit amor, quem gloria Thomæ,
    Dona ferat triſti Manibus apta die;
Quiſquis adeſt det thura focis, det florea ſerta;
    Votaque concipiat pectore, & ore preces.

Dixit Laurentius Maria Andreozius.

Ingentes opes in pauperum uſus diſtribuit S. Podium æmulatus.

O D E.

FAllor? recluſis an nova poſtibus
    Cæleſtis aula nobilis emicat
    Imago pompa? quis triumphus
    Sidereis agitatur oris?
Favete linguis. Qui mare temperat
Terramque inertem, Magnus adeſt Deus!
O me beatum: qua venuſtas,
    Quive gravis nitet ore riſus!
Millena Patrum turba micantium
Conviva pictis ſedibus aſſidet;
Quos inter & Thomas recumbens
    Nectareo recreatur hauſtu.
Certum ſequutus ſcilicet auſpicem
Auri potentem vi Podium, tua

Ca-

Cuſtode quo gentis tuliſti;
Flora, caput ſuper aſtra felix;
Intacta latis ingera meſſibus,
Cenſuſque avitos, ò quoties pios
Refudit in ſinus! benignus
Omnibus & ſibi pauper uni.
Hac arte Thomas [credite poſteri
Fulget ſuperni Civibus additus
Regni coronatus verendos
Nexibus aſtriferis capillos.
» *Auditis? an me ludit amabilis*
Error? reſultant atria plauſibus;
Lyraſque Cœleſtes Choraula
Quàm bene ſollicitant viciſſim!

Dixit Joannes Franciſcus Catinalius.

Abdicare ſe Archiepiſcopatu, quemadmodum S. Antoninus eum recipere detrectabat, non ſemel tentavit.

ELEGIA.

FOrtia facta Ducum quæ pandis, Fama, per Orbem,
Et prohibes dignos laude perire viros:
Sublimiſque ſolo aſſurgens caput inſeris aſtris,
Concentùque reples ſolis utramque domum;
Mitte triumphales Victorum dicere pompas,
Viſaque laurigeris ſigna redire viis.
Et Latios rerum dominos Terrâque, Marique,
Et norunt priſcos ſæcula noſtra Duces.
Alterius nunc ferre Viri decora alta ſub auras
Fas eſt Lethæo gurgite merſa diù.
Thomas, quem Pietas ripis plaudentibus Arni
Suſcepit, niveo fovit & uſque ſinu:

Tho-

Thomas, quem docuit Pallas bene fida tueri
Egregias artes, & dare jura Themis:
Thomas, qui priſcis meritis tot clarus avorum,
Clarior & meritis ſurgit ad aſtra ſuis;
Ille novis poterit conatibus addere vires,
Materiemque novis cantibus ille dabit.
Tot ſiquidem numerat laudes, Pæſtana quot arva.
Vere novo pingunt lilia mixta roſis;
Quot Sicyon baccas, quot Maſſicus educat uvas,
Seu quot, Hymette, paris, quot paris, Hybla, favos;
Una tamen reliquas inter pulcherrima laudes
Laus eſt: hâc unâ laude canendus erit.
Scilicet Etruſcâ pollens, Latiâque Minervâ,
Artibus & populis qua dare jura docent;
O quoties voluit ſaturatas murice veſtes
Ponere communis captus amore Toga!
Littera ſeptenos toties inviſere colles,
Supremique Patris juſſa ſubire Lares:
Illa preces dicet, quas pectore fudit ab imo,
Rebus & incertis adſtruet illa fidem.
Qualiter ultro datis patria gaudentis habenis,
Antonine, tui gloria prima gregis:
Diceris in queſtus abiiſſe, & flumina luctus
Effudiſſe oculis more perennis aqua:
Atque cavas inter latebras, tacitoſque receſſus
Feſulei collis delituiſſe diu;
Non ſecus ille, decus Tuſca, columenque Tiara,
Hos querulos fudit nocte, dieque ſonos:
Cur vetor [heu!] tanta partem deponere Molis?
Non eſt hac humeris ſarcina facta meis.
Quàm cuperem pennas Aquila, molliſque Columba?
Quàm cuperem pennas, candide Cycne, tuas!
O me felicem, ſi detur avita per arva
Non intermiſſâ poſſe quiete frui!

Hec

Nec me ruris amor vanâ dulcedine tentat;
Me mea, me populi commovet una ſalus.
Quare age, Virtutum Custos, age nuntia laudum,
Fama, ſepulcrales tardior ante faces:
Carpe iter, & magna refer hæc præconia mentis,
Quâque patet Cælum, quâque recumbit humus.

Dixit Paſchalis Toguettius.

Exemplum ſequutus veterum Præſulum, præſertim S. Theodori, Eccleſiam in Alpibus condit.

SCAZON.

QUà ſurgit horrens Alpium gelu rupes,
Canâque fronte proximas ferit nubes:
Extructa Templi funditus patet moles
Curâ, & ſagaci maximi Patris ductu,
Contra rebellis impetus feros Ditis
Perenne propugnaculum, dolos contra
Teterrimos Inſcitiæ recens ludus,
Quo Sancta puros explicat Fides mores,
Certamque pandit Charitas viam Cælo.
Huc, dum calebat plurimis opus fabris
Bene ominatis nutibus vigens Thomæ,
Formidoloſa Tanari cohors venit,
Minaſque miſcens queſtibus, minis iram:
Heu perditam! (clamavit) heu Stygis prolem
Latè potentis ſubditam jugo Myſtæ!
Magnas ruinas Tartaro hæc trahet moles,
Decuſque vero debitum Deo reddet.
Quot (auguror) quot afferet graves caſus,
Quum ventilata mollibus Noti pennis,
Eurique, Crux micabit è ſacra Turri

Cla-

Cladis trophæum priſtinæ, novæ ſignum!
Heu! quid priores æmulans Patres, laudes
Orco minaces aggeras, Pater Flora?
Cedemus hinc, cedemus; at dabis pœnas
Brevì procellas horridas, brevì nimbos
Vertiſſe Molem ſenties, tuis Molem
Se ſubrigentem ſumptibus, dabis pœnas.

Dixit Carolus Antonius Franceſchius.

ECLOGA, CUI NOMEN DAPHNIS.

Poeta. NUper, quà vitreis præterfluit inclytus undis
Arnus, & amplexu dilecta avellitur Urbis,
Stratus humi Mopſus, Paſtorum gloria Mopſus;
Poſtquam mente diù volvit lacrymabile fatum,
Daphni, tuum, triſti quem funere Parca peremit
Aurea reddentem felici ſæcula curſu
Etruſcis latè populis; Dum læta per arva
Errabant paſſim mixti cum Matribus Agni
Florentem cytiſum tondentes, atque geniſtas:
Aut fruſtra Manes revocare ad luminis auras,
Aut animi tentans fruſtra compeſcere morſûs,
In queſtus, planctuſque oculis rorantibus ibat,
Miſcebatque ſuas vicini Fluminis undis;
Dumque gemit, fontes gemitus, valleſque, lacuſque
Reddebant; circùm gemitu nemora alta ſonabant.
Mopſus. Ergo deceſſit Daphnis! decus ergo, voluptas
Maxima Paſtorum deceſſit, nullus in oris
Quo fuit Etruſcis pietate inſignior, & quo
Nullus erit? Daphnis deceſſit, & omnis ab agris
Abſceſſit noſtris uno abſcedente venuſtas.
Quid miſeræ pecudes tantum, pecudumque Magiſtri
Commiſere mali, quibus implacabile fatum

Paſtorem rapuit? Daphnis deceſſit, & omnis
Abſcedente quies noſtris abſceſſit ab arvis!
Heu pecus infelix? quis te defendet ab Urſis,
Arcebitque pedo rabidum, dum tentat ovile,
Hac illac penetrare, Lupum? Tenet ille Vireta
Æterna, æternos colles, æternaque prata,
Quæ meruit virtute ſua; mixtuſque beatis
Exultat ſine fine Choris. Tenet inclyta Rura,
Quæ nivibus non lædit hyems, non ſolibus æſtas;
Sub pedibuſque videt nubes, calcatque procellas.
Nos verò amiſſum lugemus, & aſtra rogamus,
Aſtra piis votis, tam juſtis ſurda querelis.
Aſtra ſinunt colubros juveneſcere ſæpius, aſtra
Stirpibus exciſas imis revireſcere quercus;
Aſtra negant tamen extinctum te ad lumina vitæ,
O bone Daphni, redire, frui & vitalibus auris.
Daphni, redi: decus o Paſtorum, gloria ruris,
O bone Daphni, redi: campos, bone Daphni, reviſe,
Qui lætas ſegetes, qui te Cultore tot annis
Maturas uvas, & dulcia poma tulerunt.
Te ſine magna Pales ſqualentia deſeret arva,
Te ſine nullus honos hic, gratia nulla manebit.
Sed fruſtra precibus Daphnin, lacrymiſq; fatigo
Non auditurum Daphnin lacrymaſque, preceſque.
Sylva, deceſſit Daphnis, quem ſæpe per agros
Calcantem nudis pedibus ſenteſq;, ruboſque
Vidiſtis luſtrare greges, ut pelleret omnem
E caulis ſcabiem, pariterque ſalubribus herbis
Ferret opem miſeris: extinctum plangite Sylvæ.
Fontes, deceſſit Daphnis, quem ſæpe cöegit
Dulcis amor veſtram, pietaſque accedere ad umbram,
Eductiſque manu lymphis abſtergere labes,
Mortiferas labes agnis, ovibuſq; momordit
Quas Stygius Serpens: extinctum plangite Fontes.

Col-

Colles, deceſſit Daphnis, quem ſæpe canendi
Succenſum ſtudio audiſtis depromere verſu,
Qua ratione greges curandi, quave Luporum
Sit rabies vincenda, quibus vitalia ſuccis
Paſcua ſint miſcenda: extinctum plangite Colles.
At ſatis extinctum [dictu lacrymabile!] Daphnin
Et Fontes plorant, Colleſque, ac denique Sylvæ;
Ex quo deceſſit Daphnis palleſcere frondes
Vidimus in Sylvis, marcere in Collibus herbas,
Oblitoſque ſuum curſum per devia Fontes
Errare, in propriumque caput remeare fluenta.
Cuſtodes nemorum, Dryades, molleſque Napææ,
Quæ, velut ante, leves non ducitis arte choreas,
Vos quoque traxiſtis ſuſpiria pectore ab imo,
Arboreiſque ſimul de verticibus ululaſtis.
Ipſe etiam plorabo tuum noctuque, diuque
Interitum, bone Daphni; Priùs cum tigribus agni
Ludent, cum canibus venient ad paſcua damæ,
Quàm tua de noſtro labatur pectore imago.
Poeta. *Sic Mopſus gemuit: poſuitque in cortice fagi*
Paſtoris merito deſcriptum carmine Nomen;
Servat adhuc fagus Tuſcis celeberrima in oris,
Servabitque diù monumentum, & pignus amoris:
» Quiſquis ades, Paſtor, Tuſcorum Daphnin honora
» Paſtorum Patrem: clarum, ac venerabile Nomen
» Gentibus, & multum noſtris quod profuit arvis.
Hæc ſcripſit: poſtquam ſed celſis montibus umbras
Irruere, ac latè ſubjectas cingere terras
Aſpexit, pecus omne ſtatim de more coëgit,
Corripuitque viam veritus ſe credere nocti.

Dixerunt Antonius Alexander Martinius, ac
Philippus Maria Meus.

Sepulcralis Inſcriptio ad tumulum Thomæ Bonaventuræ Archiepiſcopi.

EPIGRAMMA.

VIr jacet hic Magnus; par famâ Patribus illis,
Qui Tuſcis olim jura tulere plagis.
Æmulus & fovit Muſas, & Apollinis artes:
Viribus ingenii, ſtirpe, opibuſque potens.
Circùm Sancta Fides, Probitas, Reverentia legum,
Candida Simplicitas fletibus ora rigant.
Nam dedit egregiis ſtimulos, & præmia rebus,
Condidit & populis aurea ſecla ſuis.
Euboicam meruit, Pyliamque videre ſenectam;
Sæva ſed invidit Mors, rapuitque Virum.
At quid plura? jacet Thomas; id Nomine in uno,
Nulla quod eloquii vis canat, Hoſpes, habes.

Dixit Antonius Maria Conſiglius.

A Mon-

A Monſignore Arciveſcovo Fondatore del Seminario per la proſperità del medeſimo

CANZONE.

ALma ben nata, felice alma, e bella,
Che già diſciolta del corporeo velo
Riſplendi acceſa in fiammeggiante Stella
Nell' alto Cielo:
Ove de' Toſchi Padri eccelſi, e chiari
Luce al bel Coro accreſci almo, e gentile
Per gli Angelici tuoi coſtumi rari
A lor ſimile;
Ed ove al par di lor lieta, e contenta
Godi perfetta inalterabil calma
Sempre nel Divin Sol fiſa, ed intenta:
Deh nobil' Alma,
(Se pur rimaſe in te paterna cura)
Le ſante luci a' Figli tuoi rivolta
Egri, e dolenti in queſta valle oſcura,
E i voti aſcolta:
Oltre a tant' opre inuſitate, e nuove,
Di cui feſtoſo eſce dall' Alpi il grido,
E del tuo bell' Amor ſpande le prove
Per ogni lido;
Con ammirabil magiſtero, ed arte,
A queſta, che or verdeggia all' Arno in riva,
Aprica ſpiaggia, e creſce in ogni parte
Lieta, e giuliva,
Tu deſti (e ben lo ſai) vital calore,
Tu deſti norma; e la ſemenza eletta,
Che ſparſevi tua man, promiſe al cuore
Meſſe perfetta.

Febo

Digitized by Google

Febo vi ſceſe, allor che il bel lavoro
Vide di gigli, e di viole adorno:
Vi ſceſe delle Grazie il nobil Coro
A far ſoggiorno.
Ma che fia poi di lor beltà, che fia,
Se l'alma luce a queſte amene ſpiagge
Del Cielo amiche, ed a te care in pria,
Or ſi ſottragge?
Parmi (ai me laſſo!) parmi che ogni fiore
Scoſſo da inſano vento, e rio languiſca,
O che al mancar del nutritivo umore
S'impallidiſca.
Padre, or che adorno di lucenti Stelle
In ſeno al gran Motor, cui fuſti caro,
Il premio godi di tant' opre belle,
Che 'l Mondo ornaro,
Deh Padre Santo, dall' Eterno Chioſtro
Con ciglio mira lucido, e ſereno
L'afflitto, e ſconſolato albergo noſtro,
E tuo non meno;
Tu nuovo brio, nuovo vigore iſpira
Delle Piante novelle al vago ſtuolo,
E 'l dolce ſguardo eternamente gira
Sul culto ſuolo.
E quante frondi poſcia, e quante, ogni anno,
Produrrà erbette ſcelte, in queſto giorno
Alla bell' Urna tua ſparte ſaranno
Tutte d'intorno.

Diſſe l' Ab. Giangiorgio Maria Guadagni.

Mo-

Digitized by Google

MOnumentis rerum geſtarum proditum eſt Lyſandrum Lacædemonium, præclarum in primis virum in Lydiam olim ad Cyrum minorem Perſarum Regem veniſſe, hortoſque quos Cyrus ipſe conſeverat, miraque diſpoſuerat elegantiâ, diù contemplatum eſſe. Ob eamque cauſam quum eximiam diſpoſitionem, arborumque proceritatem, atque incredibilem varietatem in Cœlum laudibus extuliſſet, ſeque non modò diligentiam mirari, ſed ejus etiam ſolertiam, a quo eſſent omnia dimenſa, rectèque ordinata, affirmaſſet; ſe Cyrus dimenſum eſſe, multaſque arborum etiam ſuâ manu conſeviſſe reſpondit. Vos quoque, Auditores humaniſſimi, hodiernâ luce Florentinum Seminarium præſentiâ veſtrâ illuſtraſtis, hortum videlicet illum, planèque Eccleſiaſticum viridarium, quod Thomas Bonaventura, humani generis bono natus Antiſtes, paucis ab hinc annis, ſuâ veluti manu conſevit, variarumque diſciplinarum arboribus mirum in modum ornavit. Atque utinam, quemadmodum olim Lyſander hortorum diſpoſitionem, elegantiamque probavit, ita in hoc hodie Seminario non nihil apparuiſſet dignum graviſſimo conſpectu veſtro, dignum ingeniis excultiſſimis, dignum præſtantiſſimi Conditoris, ac Patris beneficentiſſimi nomine. Thomæ nimirum aſſiduæ vigilantiæ, Thomæ immodicis ſumptibus, Thomæ ingentibus beneficiis acceptum ſanè referri debet, ſi quid conſequentibus annis non incultum omnino, neque injucundum hoc religioſum afferet Seminarium. Quoniam verò Auditores, planè cognoſcimus nullum propemodum ingenii fructum nos protuliſſe, hodiernâ præſertim die, qui tot, tantiſque laboribus, ac vigiliis reſpondeat, veſtræque dignitati, atque admirabili eruditioni conveniat: vos etiam, atque etiam rogamus, non modò, ut nobis contabeſcentibus, ac ferè oppreſſis mœrore ignoſcatis, ſi minus ornatè, ac copiosè, quàm par erat, & quodam veluti tumultuario ſtudio Patris optimi laudes attigimus; verùm etiam hujus

Ec-

Eccleſiaſtici cœtus ab ampliſſimo Præſule morti proximo veſtræ fidei , tutelæque quammaximè commendati patrocinium ſuſcipiatis. Intereà pro veſtra erga nos benevolentia, ac ſingulari humanitate gratias agimus immortales ; & quas Thomas ipſe per ſe non poteſt, Thomæ nomine vobis perſolvimus.

Dixit Nicolaus Cajetanus Socius.

Su-

Digitized by Google

INSCRIPTIONES.

PRÆ FORIBUS.

THOMÆ BONAVENTURÆ
E Comitibus Gherardeſchæ Archiepiſcopo Florentino
Qui Religioſo huic Collegio inſtituendo
Exornando muniendo æternando
Curas opes conatus omnes quoad vixit
Libentiſſimè impendit.
Alumna Collegii Juventus
Hodiernam diem rite deſtinatam
Luſtralibus cæremoniis ac funebri laudationi
In Æternum grati animi monumentum.

IN VESTIBULO AULÆ.

Quiſquis ades ingredere
Et Virum glorioſum Parentem noſtrum
THOMAM BONAVENTURAM
Cujus memoria in Benedictione eſt
Nuper Archiepiſcopum Florentinum
Nunc Civem Sanctorum ut par eſt credere
Dilectum Deo & hominibus omni tempore
Aut imitare ſi queas
Aut demirare.

IN

Digitized by Google

IN AULA.

I.

Parentibus natus magnis Virtute
Dominantibus in poteſtatibus Prudentia præditis
Ab infantiâ timens Deum & ambulans in lege Domini
Os aperuit in oratione Cor tradidit ad vigilandum diluculo.
Florentiæ Piſis Romæ Sapientiam exquiſivit.
Statimque ſpiritu intelligentiæ repletus
Tamquam imbres fundebat eloquia ſuper mel & favum dulciora.
In medio Magnatum In conſpectu Præſidis apparuit
Et palam fecit diſciplinam doctrinæ ſuæ.
Propterea Gloria & honore Magiſterii coronatus eſt.
In Bonitate & alacritate animæ ſuæ placuit Deo.
Ideo electus ex omni carne habitavit in Tabernaculo.
Sine macula ingreſſus ad Altare per gradus aſcendit
Sacerdos etiam ante initium Sacerdotii.

II.

Proficiens ætate non receſſit a via ſua
Apud Deum & homines gratia & ſapientia proficiens.
Super candelabrum in domo Dei poſitus
Et Canonicus in Eccleſia magna deinde Decanus factus
Quaſi Luna plena in diebus ſuis lucebat omnibus
Adeptus gloriam in Converſatione gentis.
Ab Apoſtolico Nuntio Ab Antiſtite Florentino
Aſſumptus in opus Miniſterii
Judicavit populum in Juſtitia.
Pupillum & Viduam ſuſcipiens
Munera ſuper Innocentem non accipiens
Curſum conſummavit Fidem ſervavit.
Et gratiam inveniens coram omnibus inventus eſt dignus
Ut eſſet illi Magni dignitas Sacerdotii.

Sa-

III.

Sacerdos magnus effectus matura ætate
Feſulana primùm Mox Florentina Diœceſeon
Quaſi ſol refulgens ſic effulſit in Templo Dei verbo & exemplo.
Directus divinitus in ſalutem Electorum
Exultavit ſtatim ut Gigas ad currendam viam
Luſtrans univerſa in circuitu a fine uſque ad finem attingens.
In medio Eccleſiæ In populo gravi Synodum celebravit
Fortiter ſuaviterque diſponens omnia.
Doctrinamque ſapientiæ & diſciplinæ ſcripſit in Codice.
Tabularium inſtauravit auxit ordinavit
Ut narrationem conſervaret virorum illuſtrium.
Corroboravit pietatem Dedit in celebrationibus decus.
De ſtercore pauperes erexit In orationem humilium reſpexit
Omnia omnibus factus ut omnes faceret Christi.

IV.

Inter alia quorum non eſt numerus
Duo fecit mirabilia magna ſolus
A ſolis ortu uſque ad occaſum laudabilia.
Secus decurſus aquarum benignitatis ſuæ
Vineam electam plantavit poſuit Cuſtodes
Ut plures Myſtici Flores apparerent in terra noſtra
Et Flores fructus darent in tempore ſuo
Fructus honoris & honeſtatis.
In loco horroris & vaſtæ ſolitudinis
Fecit in Alpibus Sanctuarium Conſtituit Sacerdotem
Ut curaret gentem ſuam & liberaret a perditione.
Quis poteſt ſimiliter gloriari?
Magno Spiritu videns ultima & de gloria Retributionis
Hilareſcens obdormivit in Domino.

CIR-

Digitized by Google

CIRCA CENOTHAPHIUM.

Innocens impollutus

Segregatus a peccatoribus

Cupiit diſſolvi & eſſe cum Chriſto.

Dives in Virtute

Admirabilis in Magnificentia

Repoſitam vidit coronam Juſtitiæ.

Habita eſt Academica Exercitatio V. Kal. Decemb. A. CIƆ. IƆCC. XXI. ſub auſpiciis Clariſſimorum Virorum Franciſci Tornaquinci Eccleſiæ Florentinæ Archidiaconi, Equit. R. Antonii del Roſſii Canonici Florent., necnon Abbatis Nicolai Baldigiani, & Franciſci M. Forini, Seminarii Moderatorum.

Digitized by Google